



Dissertatio historico-theologica de servitute, libertati Christiana non contraria

<https://hdl.handle.net/1874/363538>

J. B. J. CAPITBIN,
THEOL. DISSERTATIE
LATIJN EN HOLLANDSCH
EN
TWEE PREDIKATIEN.

1742.
MET PORTRET.

Oct. 50

256

F. oct.
2050



Indoeles.

Van J. E. J. Capitein
is ook in druk verschenen:

"Intre predikatie op
d' Elmina": 4^e 1744.
Leiden

Notulen: Het onte vader, beloof
en te verboden.

In 2 Guineën en Dantus.
Leid. 1745.

Vgl. Cat. Bk. Hie de Willen,
Leid. 1767, k. 112.

Vgl. over Capitein, latec
Leygerdts 1802. een
Mededeling in de Knobelen,
1852. 4. bl. 153 - 156.

Dok vindt men van
J. E. J. Capitein,
achter eenen Leerdeel
van ds. Ilandus van
Staveren (te Grootenhage),
ter Gegevenschijf van
ds. Joh. Phil. Mangen,
Pred. by de Hoozd. Jose. te
Grootenhage, over 1 Kor.
15: 54^b, 55 - 57, 3 Grav.
by Fred. Boucq quæst.,
1741. 4^e - eer, Lykediit,
getiteld: Lestus in funere
viri Erud. -- D. Joann.
Philippi Mangi -- alius
beginnende:

In rida mors lotum vibrae sue tela
per orbem,
Et gestit quemvis succubuisse
sibi.

= en eindigende aldaas:
Hoc docuere, præter tua verba
unrisima, pronas
furibus exceptit quæ pia
verba suis.

Jacobus Elisa
Joannes Capitein.



Fp 02050

INTRODUCTION



UITLEGGING
VAN DE
TYTELPLAAT.
KLINK-DICHT.

Het kunsttafreel verbeeld 't verzengt Guineès gewest,
Daar ryft de Heilzon op ten dienste der Barbaaren:
Het schip bezeilt de kuſt, van Texel uitgevaaren,
Geleid door d' Engel Gods, daar yder 't oog op vest.

O wakk're Hemeltolk! vertoont g' ons tot ons best
Het Euangeliwoord? die Goddelyke blaären,
Bied g' ons dat heilgoed aan? ons, teed're Christenschaaren,
Dus roept het volk, als in verwondering ten leſt?

Men ziet hen by 't kasteel hun pligt met lust verrigten,
De laading in de boot, daar uit in 't vaartuig ligten,
Dat om de linkerhoek legt met beslaage zeil.

Zo wil God Chams geslagt ook zyn genaa betoonen;
Daar wy, als Japhets kroost, de tent van Sem bewoonen:
Zo wort het sterk D'Elmien' een schoon kasteel van Heil.

BRANDYN RYSER.

Med. Stud.



JACOBUS ELISA JOANNES CAPITEIN,
AFRICAAANSCHE MOOR.

Beroepen Predikant aan het Kasteel st. George op D'Elmina.

Aanschoúwer zie dee z' MOOR! zijn vel is zwart: maar wit
zijn ziel, daar JESUS zelf als Priester voor hem bidt.
Hij gaat Geloof, en Hoop, en Liefde aan Mooren leeren,
Op dat zij, witgemaakt, met hem het I, AM steeds eerden.

BRANDYN RYER

te LEYDEN by PHILIPPUS BONK.

P. Blaeu Lc. fecit.

F 802050

DISSE^RTAT^O POLITICO-THEOLOGICA
DE
SERVITUTE, LIBERTATI CHRIS-
TIANÆ NON CONTRARIA.

Q U A M
ANNUENTE DEO T. O. M.

S U B P R E S I D I O

Viri Summe Reverendi & Celeberrimi

JOANNIS VAN DEN HONERT, T. H. FIL.

*S. S. Th. Doct. hujusque Facultatis, ut & Histor. Eccle-
siasticæ, in Academ. Lugd. Batav. Profess. Ordin.*

nec non Ecclesiæ Leidensis Pastoris,

Publicæ placidæque disquisitioni subjicit

JACOBUS ELISA JOANNES CAPITEIN, Afer,

DEFENSURUS AUCTOR,

Ad diem 10. Martii, boris 9. & 10. ante meridiem, & boris 2. & 3. post meridiem.




B.F. Imminck Inv. et Sculpsit.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS & FILIUM,
Academia Typographos. MDCCXLII.

DISTRIBUTIO POLYGLOTTON
SERVITUTER LIBERTATI CIVIS
A M A N N U S I T A T E B E O M

JOANNA'S LIBERTY TO THE PEOPLE OF
JACOBUS ET ILLI JOANNIS CHURCH, ALL
D A T A M A R C H A Y M A T O R
T H E C O M M U N I T Y O F T H E P E O P L E

JACOBUS ET ILLI JOANNIS CHURCH, ALL
D A T A M A R C H A Y M A T O R
T H E C O M M U N I T Y O F T H E P E O P L E



YOUNG SANCTUARY LIBRARY
MICHIGAN STATE UNIVERSITY LIBRARIES
BOSTON PUBLIC LIBRARY

VIRIS NOBILISSIMIS, GRAVISSIMIS,

D. PETRO CUNÆO, JCTO.
REPUBLICÆ LEIDENSIS SENATORI.

D. JOANNI ÆGIDIO VAN EGMOND
VAN DER NYENBURGH, JCTO.

REPUBLICÆ LEIDENSIS SENATORI, ET
SÆPIUS SCABINO, JAM VERO ILLU-
STRISS. ORDINUM FOEDERATI BELGII
AD POTENTISSIMUM SICILIARUM RE-
GEM EXTRAORDINARIO LEGATO.

D. WILHELMO CAROLO VAN DER
MUELEN, JCTO.

TOPARCHÆ IN BLYENBURGH, AMPLISS.
MAGISTRATUI TRAJECTINO A SECRETIS.

D. JOHANNI JACOBO VAN WES-
TRENEN, JCTO.

TOPARCHÆ IN LAUWENRECHT, STER-
KENBURGH, THEMAET, ETC. CAPITULI
SC^a. SALVATORIS, QUOD ULTRAJECTI
EST, DECANO, IN PROVINCIALI TRA-
JECTINORUM CURIA SENATORI ORDI-
NARIO.

D. JA-

D. JACOBO VAN DER MEER, JCTO.

TOPARCHÆ IN HOGEVEN, REIPUBLI-
CÆ LEIDENSIS SENATORI, ET SCABINO,
NUPER AD ILLUSTRISSIMUM ORDINUM
FOEDERATI BELGII CONSESSUM LE-
GATO.

SUPREMÆ VOLUNTATIS VIRI MUNIFI-
CENTISSIMI ANTONII HALETI EXECU-
TORIBUS FIDELISSIMIS, MÆCENATIBUS
MEIS, STUDIORUMQUE FAUTORIBUS,
OPTIME DE ME MERITIS.

D. WILHELMO CAROIO VAN DER
MUREN, JCTO.

OPARCHÆ IN HOGEVEN, MÆCENATIBUS
WICHTRAUTI TRAJECTORIÆ A SECVNTA

D. JOHANNI JACOBO VAN WES-
TRINGEN, JCTO.

TOPARCHÆ IN FARNENBERCHT, ETC.
KENNDORCH, THIEMET, ETC. CAVENTI

SCVLPIATORIS, GODO, GUTTEREGTI
EST. DECENO, IN PROVINCIVI TRA-
JECTORIÆ CURIÆ SINTUOLI CEDUNA

D. D. D.

AUCTOR.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



uartus est jam annus & quod excurrit,
quum e Scholis Haganis ad Academicas
Lectiones audiendas promotus, pro viribus
juvenilibus, de Vocatione Ethnicorum
Orationem composueram. Hanc autem tres
in partes ita digessi, ut Prima doceret:
promissiones de Japheti & Chami Postero-
rum Vocatione in vero Dei verbo inveniri.

Secunda: quamvis hæc Ethnicorum Vocatio jam facta dicatur
in Novo Testamento, oportere tamen intelligi eam ex parte tan-
tum accidisse, cæterum in sua plenitudine exspectari. Tertia:
si exspectetur, quibus ventura sit modis. Sub tertia autem classe, pri-
mo, ut generale totius rei fundamentum, posui, ut Deus assiduis
tamdiu precibus rogetur, donec ipse Verbum suum cum Spiritus
Sancti exuberantibus donis conjunctum annunciaripatiatur Ethni-
cis illis, qui ne rumorem quidem ejus, buc usque, audiverunt. De-
inde verò ipsa media, quibus bene observatis, hoc Deo gratissimum
opus queat suscipi & promoveri, summatim partitus fui in qua-
tuor ordines: quorum primus inculcat necessitatem cognitionis il-
larum linguarum, quibus agere possumus cum Ethnicis ad religio-
nem Christianam permovendis. Secundus autem requirit, ut, cum
perventum est ad eas Gentes, constituantur idoneus congregandæ
concioni locus; aut si quis forte jam constitutus sit, diligenter ille ad
hunc usum adhibeatur. Tertius porro ostendit, omnibus modis que-
rendam esse cum illis familiarem consuetudinem, ut admiran-
dam illam Christianæ fraternitatis dulcedinem ita cognoscentes

ad

VIII PRÆFATIO AD LECTOREM.

ad eam alliantur. Quartus denique ordo, quum hæc omnia perfici
sine Doctoribus non possint, maximopere exigit, ut in Academiis
formentur, indeque ad Ethnicos mittantur homines, qui singu-
lari eruditione ac pietate prædicti, atque ab avaritia præcipue,
dominandi libidine, alieni, non cruditate imperii deterreant
miseros, sed animi lenitate & clementia permoveant. Nunc ve-
ro, dum, mihi adorandâ Summi Numinis gratia simul & auxi-
lio, meorum studiorum Academicorum brevi conficiam curriculum,
conabor in hoc Præfamine, ex omnibus, quæ tunc temporis dice-
bam, inferre.

I. Generaliter, singulis veris id officii incumbere Christianis,
ut illa media, quæ hanc Ethnicorum Vocationem, Deo favente,
maturare valent, adhibeant diligenter, sive per se, sive per
alios.

II. Maxime vero hoc speciatim talibus esse commendatum,
qui specialiorem ad hanc illamve Gentem Ethnicam, cuius e me-
dio ipsi ad Christianismum sunt conversi, habent relationem.
Quod tunc fieri deprehenditur, si sece ad Ethnicos offerant mit-
tendos.

De Veris Christianis generatim sic spectatis nemo id facile
negabit. Illi enim, ut hoc Deo jucundissimum religionis opus
omni conatu & amore efficiant, adstricti pariter & obligati
sunt (si Oeconomia Novi Fæderis indolem, si Apostolorum ac
Apostolicorum Virorum in id ipsum ardentissimum studium, si
denique tempora, quibus nos vivimus, rite intueantur & ex-
aminent) ut hoc onus sibi injunctum esse ultro agnoscant. Inter
characteres enim, quibus Oeconomia Novi Fæderis distinguitur
a Veteri, minime contemnendus est ille, quo cultus divinus non
amplius uni loco, gentive sit alligandus. Hoc enim in Prophetarum
Commentariis passim obviam habes prædictum. (a) Hoseas ait:
& dicam non populo meo, populus meus es tu. (b) Et a-
pud

(a) Cap. 2. 24.

(b) Cap. 2. 2...

piud Joëlem legitur: Et erit, post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem. *Utramque vero promissionem disertissimis verbis, Spiritu Sancto plenus, nostro nunc negotio applicavit* (a) Petrus. Neque ante omnia prætermittendus est Zacharia, dicens (b) illo die erit Jehova unus, & nomen ipsius unum. *Herum autem omnium illa ratio est & ea causa, quod Messias, eo tempore in Mundum mittendus, Regnum a suo Patre, ubi animam suam posuisset sacrificium pro reatu, acciperet latissimum, usque ad extremas terrarum orbis oras: uti graviore incedens cothorno Regius Psaltes hujus Regni Decus, Cives, Limitesque vivis depingit coloribus, cum ore profundo de Messia canit* (c) Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine ad terminos terrarum orbis, & quæ sequuntur. Hinc, quum tempore prædicto in Mundum venisset, spiritualis sui Regni sedem posuit quidem in Monte Sionis Sanctitatis Dei, ubi illi, quotquot inter Judeos consolationem Israëlis exspectabant, fuerunt attributi: sed ita tamen, ut suis Auditoribus continuo inculcans, perinde esse a quo populo vel qua in terra Deus colatur sub Nova Oeconomia, modò id Spiritu fieret & Veritate, suos Discipulos non tantum per totam Israëliticam Terram prædicatum emiserit, verum etiam voluerit, ut omnes Nationes, nullo discrimine facto, adirent. Qui, dicto Domini Regisque sui parentes, omnia vitæ pericula animosissime spreverunt, suaque bona magno cum gaudio reliquerunt, ut ita quemlibet ad fidem permoverent, donec plenitudo Gentium in Spirituale Christi Regnum intraret, ac omnis Israël salvaretur. Quantus vero fervor inter Apostolos fuerit, quo unus alterum, in hoc officio fungendo, præcurrere conabatur, satis superque videre est in Barnaba & Paulo, quorum memoria in Sacro Codice summis simul & æternis abundat laudibus, quum dicantur (d) exposuisse

(a) 1 Petr. 2: 10. & Act. 2: 39. (b) Cap. 14: 9.
 (c) Psalm. 72. toto & præsertim vers. 8. (d) Act.
 15: 26.

x PRÆFATIO AD LECTOREM.

fuisse animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. *Vestigiis Apostolorum, quamquam etiam veritatis hostium iræ variisque tormentis objicerentur, lubentissime institerunt Viri Apostolici, quales sunt Timotheus, Titus, Clemens Romanus, Polycarpus Smyrnæus, Quadratus, Ignatius, & alii, quorum Historiam Guili. Cave descripsit, & alii Viri Docti.*

Quis jam Christianus, in cuius intimas animi cogitationes hujus nominis significatio altas, ut par est, egit radices, hos Deo gratissimos Ecclesiæ Christi Fundatores imitari non optaret: præsertim nostro tempore & ævo, quo Ecclesia non amplius undique, ut olim, vexatur, sed quo ostium magnum & efficax est apertum, quo Euangelii mysteria nota fiant vel ipsis Transmarinis, ad quos, in hunc usque diem densissima veluti ignorantiae caligine obiectos, fama Christi nondum pervenit. Certe illi, qui, per admirabilem Dei providentiam & bonitatem, ex Etnicismo ad Christianismum translati, Euangelii propagationi possunt professe, in eam curam pariter & cogitationem debent incumbere. Nam, præterquam quod ipsa natura sponte dicit omnibus, ut sibi arctiori vinculo junctis imprimis proficere studeant, ex Apostolorum missione est manifestum, illos, priusquam ad Gentes Etnicas transirent, Euangelium annuntiatur, Iudeæ Gentis Judaice salutem curare debuisse, secundum ipsius Domini (a) mandatum. Hinc mihi quoque summanam necessitatem semper arbitrabar esse impositam, ut nationi meæ aliquando essem utilis. Summam dico necessitatem. Neque injuria! Nam me Deus, qui laudandus est in Sæcula Sæculorum, per profundas suas, cum sapientiæ, tum cogitationis divitias, non modo ex Africa in has Batavorum Beatas deduxit Terras: verum etiam mihi, Sacris Melioribus initiatu, prima scientiarum elementa tradi curavit. Hanc autem Dei circa me meaque studia providam curam ut heic loci, summa rerum capita delibando,

(a) Matth. 10: 6.

PRÆFATIO AD LECTOREM. xi

do, breviori scripturā persequar, nemo Christianus mihi vitiis
vertet. Septem vel octo annorum puer, seu bello, seu alio ca-
su, Parentibus orbus, vendebat Navarcho Fortissimo Arnoldo
Steenhart, quum ille, coemendorum Servorum gratia, ad quendam
Africæ locum, cui nomen est Rivo Sancti Andreæ, esset appulsus:
uti ipse Vir Illustris, cum Medioburgi degerem nuperrime, retulit.

Hic autem me, ex eo loco reversus ad arcem Delminam, inde
ad Cbamam, donavit Amico suo, jam autem Patrono &
Mæcenati meo plurimum venerando, ad rogum usque filiali
amore prosequendo, Jacobo van Goch, qui tunc temporis erat
Nobilissimorum Societatis Africæ Moderatorum Mercator Felici-
ssimus & Peritissimus. Hic autem me non solum CAPITEIN
appellitari voluit, sed etiam paterno amore, pro sua indeole bo-
na, qua ejus fama per totam ferme Guineam percrebescerat,
ita semper dilexit, ut tandem, in Patriam redditurus suam, me
secum a sumtum promiserit, atque id operam daturum, ut ego,
Religione Christiana rite imbutus, aliquam artem non dishonestam,
unde vitam sustentarem, exercerem. Nam a laudato Navarcho,
post aliquot annos, cum e Zelandia in Guineam renavigasset,
Deo ita mirifice dirigente, transvecti appulimus ad Medioburgum
Zelandorum, cuius rei mentionem alibi hoc versiculo feci:

Hac me terra prior venientem exceptit ab Afris,
Et Batavum ad Tempe Janua prima fuit.

Hac ex Urbe porro discedentes Patroni mei plurimum venerandi
natale solum, Hagam Comitum, petivimus.

Scilicet hic est ille locus, quo cæca juventa
Artibus ingenuis nostra dicata fuit.

Huc veniunt Patres Batavum, & conventibus almæ
Conservant pacis foedera pacta suis.

Hic, per mille vias, pulcros némorumque recessus,
Depositis curis, otia quivis agit.

XII PRÆFATIŌ AD LECTOREM.

Hac autem in Batavorum gratissima sede non prima tantum elementa Linguæ Belgicæ addidici, sed arti etiam pictoriæ, in quam eram propensissimus, dedi operam. Verum interea, tempore labente, institutioni sue domesticæ Catechesës mihi interesse permisit Vir Humanissimus, Joannes Philippus Manger, cuius in obitum (cum Tanti Viri, tum solidæ eruditioñis, tum erga Deum singularis pietatis, Admirator semper exstiffem) flebilibus fatis, cum Ecclesiæ Hagieni præterito anno effet ademptus, Lugubrem hanc composui Elegiam:

Invida mors totum vibrat sua tela per orbem:

Et gestit quemvis succubuisse sibi.

Illa, metus expers, penetrat conclavia Regum:

Imperiique manu ponere sceptræ jubet.

Non sinit illa diu partos spectare triumphos:

Linquere sed cogit clara tropæa Duces.

Divitis & gazas, aliis ut dividat, omnes,

Mendicique casam, vindicat illa sibi.

Falce senes, juvenes, nullo discrimine, durâ,

Instar aristarum, demetit illa simul.

Hinc fuit illa audax, nigro velamine tecta,

Limina Mangeri sollicitare domus.

Hujus ut ante domum steterat funesta cypressus,

Luētisonos gemitus Nobilis Haga dedit.

Hunc lacrymis tinxit gravibus Carissima Conjux,

Dum sua tundebat pectora sœpe manu.

Non aliter Naomi, cum te viduata marito,

Profudit lacrymas, Elimeleche, tua.

Sœpe sui manes civit gemebunda Mariti,

Edidit & tales ore tremente sonos:

Condit ut obscuro vultum velamine Phæbus,

Tractibus ut terræ lumina grata neget;

O decus immortale meum, mea sola voluptas!

Sic fugis ex oculis in mea damna meis.

Non equidem invideo, Consors, quod te ocyor aura

Tran-

PRÆFATI O AD LECTOREM. xiiii

Transtulit ad latae æthereasque domos.
Sed quoties mando placidæ mea membra quieti,
 Sive dies veniat, sum memor usque tui.
Te thalamus noster raptum mihi funere poscit.
 Quis renovet nobis fœdera rupta dies?
En tua sacra Deo sedes studiisque dicata,
 Te propter, mæsti signa doloris habet.
Quod magis, effusas, veluti de flumine pleno
 Dant lacrymas nostri pignora cara tori.
Dentibus ut misere fido paltore lupinis
 Consciffo teneræ disjiciuntur oves.
Aëraque horrendis feriunt balatibus altum,
 Dum scissum adspiciunt voce crientque ducem:
Sic querulis nostras implent ululatibus ædes,
 Dum jacet in lecto corpus inane tuum.
Succinit huic vatum viduæ pia turba querenti,
 Funera quæ celebrat convenienti modo:
Grande Sacerdotum decus, & mea gloria cessat,
 Delitium Domini, gentis amorque piæ!
Clauditur os blandum facro de fonte rigatum;
 Fonte meam possum quo relevare fitim.
Hei mihi! quam subito fugit facundia linguae,
 Cælesti dederat quæ mihi melle frui.
Nestoris eloquium veteres jactate poëtæ,
 Ipso Mangerius Neltore major erat.
Dæmona turbavit Stygium Sermone potenti
 Ejus ut invasit, te duce, Christe, domum.
Namque perituras animas revocavit ab orco,
 Et Christo jussit subdere colla suo.
Ordine nam nitido pandit mihi verba Salutis,
 Justitiae & docuit, non sine laude, viam.
Numinis ante thronum posuit mea vota precando,
 Inque viri venit fervida vota Deus.
Lumina quæ rutili radiabant fulguris instar,
 Perpetua somni pressa quiete rigent.

His oculis, veluti Sancta speculator in Urbe,
 Dæmonis amovit spicula missa mali.
 Occupat exsanguis pallor vultumque modestum,
 Est ubinam solitus cum gravitate decor!
 Haud secus ac frondes pallent, quas frigore duro
 Infectas suevit lædere tristis hiems.
 Cætera quis referet, sævis dolor occupat artus,
 Ultima præcipiens dicere verba viro:
 Te Venerande Pater, quamvis tumulemus, Olympum
 Altera pars scandit non moritura tui.
 Num tua mulcentur jubilo præcordia, pugnæ
 Quum manibus sacræ præmia justa geris.
 Cælicolas inter molli circumdate lino
 Ambrosiis Victor nunc satiare cibis.
 Exsultans animis vitro de flumine pota
 Numinis e folio prosilientis aquæ!
 Nulla dies vestram poterit turbare quietem,
 Sub pedibus veltris mors superata jacet.
 Hoc docuere, Pater, tua verba novissima, pronis
 Auribus exceptit quæ pia turba suis.

Hujus Theologi Summi & Beati ex Schola Catechetica, Dei Sa-
pientissimi circa meorum studiorum rationem providentiâ, si non
omnis, certe maxima pro parte, est repetenda. Inter Catechu-
menos enim mecum versabantur duo Filii Amplissimi Gulielmi
Henrici Schuylenburch, qui eo tempore ferebantur uni alterive Fi-
liorum Incomparabilis Theologi Henrici Velje, dixisse, me stu-
dio Theologico operam navandam meditari, ut meis de-
hinc Popularibus, Deo favente, a cultu idololatrico retrahendis ad sacra meliora viam præmonstrarem. Num autem,
tale quid me fovisse alicui patfecerim, non meminisse me candi-
de fateor. Id vero certum est, hunc Theologum, pro suo, quo
ad propagandam Euangelicam Veritatem ardenter semper te-
netur studio, me arcessitum interrogasse, num ea fama esset
vera? Cui respondi, meum animum a re proposita minime

ab-

abhorrire, Hinc autem adiit Patronum meum plurimum Venerandum, ut illum rogaret, num me vellet ad Scholas Publicas mittere: Qui me, ab eo tempore, suis sumptibus, non modo artibus liberalibus dicavit, verum & illa, quæ ad studia rite excolenda requiruntur, mihi quam largissime suppeditavit.

Hoc vero tempore Gymnasearcha erat Isaacus Valkenaer, Vir plusquam eruditione scholastica Celeberrimus: cuius memoriam quoties cunque animo grato excito, toties ejus singularis erga me amor, & in me privatim erudiendo studium, mihi obculos etiamnum versatur.

Quæ cum ita fierent, Auctore Theologo sèpius memorato, Henrico Velsen, innotui Virgini Nobilissimæ, anymique datibus incomparabili, F. C. Roscam, quæ (ut semet ipsam pietati non fucata & linguarum Studiis consecravit, sic & domum studiosæ juventuti gratis aperit) mihi in addiscenda Lingua Latina valde profuit, ac dein tradidit prima elementa Linguae Græce, Hebraicæ, & Chaldaicæ. Neque hoc tantum, sed & dein ab ilia in meum Academicum Studium non parvum emanavit commodum: quippe quæ me notum fecit Gravissimo & Nobilissimo Viro Petro Cunæo, cui propterea, ut & reliquis meis Mæcenatis, hanc meam qualemcumque Differationem dedicavi. Quum autem e prima ad quartam classem promotus essem, a J. Philippo Mangero, dum Concionem ad populum haberet Ludovicus Timon Piélat cuius ab ore merito omnium ordinum Auditores pendent, ob Viri singularem dicendi facultatem, ut & Theologiae Practicæ, quam dicimus, studium) sacrum baptisma suscepit: ita ut fuerim cognominatus a Patrone meo plurimum Venerando Jacobus; ab ejus sorore, altera quasi mea Matre, Elisa; & Joannes ab utriusque Cognata, Uxore Petri Neskeri, Felicissimi Actuarii, & Primarii Amanuensis [vulgo De eerste Klerk van de Secretaryp] Per sex itaque annos cum dimidio pulvere scholastico feliciter excusso, habitaque publice Oratione memoratâ, sub Restore Rutgero Ouwens, Viro sane non vulgari in utraque Lingua peritia prædita, ad hanc Batavorum famosissimam Academiam mittebar. Cum autem non exigui sumptus, ad Academi-

XVI PRÆFATIO AD LECTOREM.

ca studia rite & honorifice perficienda, essent impendendi, Nobilissimi ac Honoratissimi Hagaæ Scholæ Curatores, nec non Senatores Curiae Hollandicæ Amplissimi & Consultissimi, me suo patrocinio benigne amplecti sunt dignati: adeo ut humanioribus studiis & exercitiis tandem me totum studio Theologico tradiderim.

Quæ cum ita sint, merito in verba hæc Divini Psalmæ erumpo mirabundus: Mirabilia sunt opera tua! quam pretiosæ sunt mihi, O Deus, cogitationes tuæ! quam multiplex est eam summa!

Verum enim vero, dum, propter datas ante rationes, Euangelica Doctrina nostro nunc tempore sit propaganda quaquaverum Christianorum patet dominium & potestas, tamen nonnullos inter Christianos sèpiuscule intellexi, metuere eos, ne per Euangelicam Libertatem Servitus iis è Coloniis, quæ Christianis debentur, magno cum earundem Coloniarum Moderatorum detimento, penitus tollatur. Scilicet fuerunt olim, & adhuc sunt homines in orbe Christiano, & præsertim in Belgio, qui seducci, nescio per quem Genium, statuerunt, Libertatem Euangelicam cum servitute corporea nequaquam posse consistere. Hanc vero opinionem, vel ignorantia indolis Doctrinæ Euangelicæ, vel superstitiosa sollicitudine ex ritibus veterum Christianorum orta, vel denique harum Regionum institutorum ac morum, nisi ut demonstrem, præfens mearum rerum status per opportune exigit.

His Deus interea faveas juvenilibus ausis,

Ne laudi demant hæc mea scripta tuæ.

Turpia Tu damnas hominum mendacia sanctus,

Nec Tibi subridet vana superstítio.

Candida dum scrutor veri vestigia, rectæ

Sis mihi perpetuus Duxque comesque viæ.

DIS-

DISSESSATIO POLITICO-THEOLOGICA,
QUA DISQUIRITUR,
NUM LIBERTATI CHRISTIANÆ
SERVITUS ADVERSETUR,
NEC NE?

C A P U T P R I M U M.

*Servitutem definit, statumque quæstio-
nis proponit.*

M U N I C I P I U M . T U C A D .

uum inter Eruditos applaudatur illi Romanæ Eloquentiæ Parentis effato, quo dixit, Lib. 1. de Offic. Cap. 2. *Omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficiisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, nos etiam non dissimili ratione Servitutem, de qua dicturi sumus, circumscribemus.* Per Servitutem autem non intelligimus spontaneum aliquem consensum, quo duæ pluresve personæ sibi invicem stipulantur, ut una, ob alimenta aliqua vita necessaria, deserviat; altera vero, rogatis concessis, illi sua peragenda injungat negotia. Hoc enim sensu qui Servitutem patitur, restriete si loquamur, Servus nequaquam est dicendus, sed potius Famulus, vel Minister, quem Græci vocant *μισθωτός*. Verum heic loci illum respicimus statum, quo quis (ut Servitus definitur Jusconsultis) alieno invitus subjicitur dominio. Huic etenim

18 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

ex vero nomen Servi, vel Mancipii, est imponendum. Rem perfecte distinctam, meo equidem judicio, cernimus, in L. Ann. Senecæ & P. Syri Sententiis, quæ restant, vs. 843. edit. J. Gruteri.

Si pares invitus, Servus, es: Minister, si volens.

§. 2. Status ergo quæstionis præcise hic est: num Christianis permittatur, salvâ libertate Euangelio, alios homines, tanquam propria bona, possidere; adeo ut, quamvis Religionis Christianæ dogmata illi homines rite profiteantur, tamen, quoad corpus, subiecti sint maneantque Servituti? Hoc autem ut demonstretur, totam materiem pertractandam ad duo capita revocabimus: quorum prius, in genere, primævam Servitutis originem indagabit, ejusdemque, apud omnes fere Gentes, receptum usum ostendet. Posterius vero Servitutem Christianismo non obstare evincet.

C A P U T S E C U N D U M.

*Primævam Servitutis originem indagat, e-
jusdemque, apud omnes fere Gentes,
receptum usum ostendit.*

¶. I. Numquemque mortalium, secundum jus naturæ, sui juris esse, id est, communem statum hominum primævum libertatem hominibus permisisse æqualem, extra dubitationis aleam merito a Viris Doctissimis ponitur. In causa autem est, quod omnes origine simus similes. Nam similium similis, & corundem eadem estratio: & ubi eadem estratio, idem est jus. Hinc autem Aristotelis spinosa disputatio, q̄ta Lib. i. de Republ. Cap. 5. existimavit, in ipso statu naturali inter homines differentiam esse agnoscendam, ita ut unus naturâ liber, alter vero servus nasceretur, vel in re seria lusum, vel in hoc rerum genere su-

DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA. 19

superbiā Sectā Peripateticae redoleat simul & prodit aper-tissime.

§. 2. Hac autem Aristotelis sententiā vel ipsi cæteri Gentiles explosa, quamvis in primæva Servitutis origine rimanda in varias opiniones discesserint, ad veritatis præ-lucentem facem tamen magis minusve prope accesserunt. Nimirum crediderunt ortam esse Servitutem vel ex injuria, vel ex fortuito rerum eventu, vel denique *ex jure Gentium*. L. Annæus Seneca, *Epiſtol. 31. sub finem*, ait, Equi-tis Romani, aut Libertini, aut Servi, nomina ex ambitio-ne, aut ex injuria esse nata. Et Aristophanis Scholiaſtes Biſetus, qui (quum ad verſum ſeptimum Pluti, quo in loco conditionem Servilem introductam eſſe δοῦλον δαίμονα, Servus Cario dicit gemebundus, commentetur) ſic loquitur: ἡ δαίμων] ἡ πύχη, οὐ μέτρος η φύσις, αὐτὸν τὴν ἐθνανήν νόμον ηδὲ η πύχη τὰς αἰνθεπάγει τοῖς αἰνθεποῖς δελεγει ποιεῖ. καὶ γὰρ, ὡς Φεον 'Αρμενοπολις εἰς τῷ τῷ δελειας ὅρῳ δελεια εἴσιν ἐθνικὲς νόμοις Διοτυπασίς, εἴς τοις τοις Επειδάν εἰ τῇ ἐπίχρι δεσποτείᾳ, Καραβαρτον ἢ Φυτικὲς νόμοις. ηδὲ φύσις ἐλεύθερες ποντας πεσόγαντι. Hoc eſt fortuna [quam Ethnici res hu-manas pro arbitrio regere ſibi persuaderunt: ita ut apud Horatium, Lib. 1. Carmin. Ode 34. audiat:

— Hinc apicem rapax

Fortuna cum ftridore acuto

Sustulit: hic posuisse gaudet.

Et plura, in Oda seq.] Non equidem natura, ſed lex Gentium, & fortuitus rerum eventus homines hominibus fecit Servos Ete-nim, ſicut Armenopolus in termino Servitutis ait: Servitus eſt conſtitutio juris Gentium, qua quis ſubjicitur alterius dominio, præter naturalem legem. Natura enim omnes liberos produxit.

§. 3. Haec autem cum nobis non tam primævam Servi-tutis originem deſcribant, quam quidem ejus uſum rece-pturn, nec non progressum, & diſcrimina ſtatuum, inde derivanda inter homines, optimo, ut opinor, jure, que-ritur, quando & unde tanta rerum humanarum mutatio facta ſit pariter & emanaverit? Brevitatis cauſa, quorun-

C. 2. dam

20 DISSERTATIO POLITICO.THEOLOGICA.

dām Virorum Doctorum missis conjecturis, calculum illis
adjecimus, qui jam, mox post diluvium, servitū mē esse or-
tam sentiunt. Quandoquidem Divinus Scriptor Moyses, qui
breviori epitoma rerum origines complectitur, ejus jam me-
minit, Genes. 9: 25. Heic loci enim innuitur, Chamī longā
postteritati, ut perpetuae ferat pœnæ indicium, propterea
quod Chamus sui Patris nuditatem ludibrio habuerat, im-
positam fuisse hanc miserrimam inter Fratres suos condi-
tionem, qua esset עֶבֶד עֲבָדִים לְאַחֲן Servus Servorum fra-
tribus suis. Hinc autem Alcimus Avitus Episcopus Viennensis,
qui veteribus cognominatus fuit Sacrarum Litterarum Exposi-
tor Suavissimus, carmine perpetuo diluvium describens, Lib.
4. vers. 404. & subsequentibus, de Diluvio sic modulatur:

Nam Servos nondum dederat natura vocari,
Nec dominos famulis discernere noverat ordo.
Primus enim maculam servili nomine sensit
Hujus natorum medius, qui forte cachinno
Distinctum petiit misero spectamine patrem,
Materiamque sui risit deformior ortus,
Et plus jam turpis nudato simplice nequam.
Quod postquam sanctus poruit cognoscere Noë,
Natum germanis fānum dedit: inde repertum
Tale jugum. Cuncti nam semine nascimur uno.
Servitii certe causam fecisse reatus
Cernitur, & liber peccans fit criminē servus.

§. 4. Quae cum ita se habeant, eluceat pariter, qua occa-
sione Servitus sese penetraverit in terrarum orbem: ita
ut humano genere magis magisque in dies deteriorem in
partem vergente, apud plurimas Gentes (si non omnes)
non modo inualuerit; sed & accepta atque confirmata fue-
rit. Nam vel pretio emti, vel ex ancillis nati, quos vernas
vocant, vel denique bello capti, in servitutem redigebantur
tacitā quadam consensione, quam exinde Jus Gentium no-
minarunt. De bello captiis Divus Petrus axiomate indubi-
tato pronunciat, Pet. 2. commate 19. ἡ γὰς τις ἡτηται, πότεν

DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

χρήσεις, a quo quis est superatus, hujus etiam servus est factus. Et Aristophanis *chonialte*, loco jamjam laudato plura attexenti, eadem mens residet: οὐδὲ πολέμιον ἐπίνοια ή δύλειαν ἔφερεν διό πολέμου νόμος κτῆμα τὸ προστέντων τοὺς νεκροὺς εἶναι θελ. Hoc est: Hostile autem artificium Servitutem super inventit. Nam belli lex, seu jus, possessionem viatorum voluit esse subditos. Hanc ob causam Graeci inter nomina, quibus (ut enumerantur apud Athen. Lib. 6. pag. 267. b. c.) Servos compellarunt, videntur adhibuisse τοὺς δύλεις, quod nomen, observante Ammonio, significat, τοὺς υποτεταγμένους; Subjectos violentiā: ita ut non aliter ac propria bona captivi considerarentur.

§. 5. Gentium verò hoc jure communibus quasi suffragiis stabilito, usus Servitutis innotuit etiam (ut præ alii Populis Romanos, Servis abundantes, quorum varios ordines & ministeria passim recensitos invenies apud Jurisperitos, inque iis apud Laur. Pignorium, silentio prætermittam) Gentilium Hebreæ, ex divino instituto & mandato, quod *Levit. 25.* reperitur. Eorum enim Servi erant aut Israëlitæ, aut Cananitæ. De prioribus, quoniam ex loco citato indubitate patet, non tam Servos, quam Mercenarios fuisse, ac propter ea illo nomine dicendos, nostrum jam non est agere. Si quis tamen modum, quo hi quandam Servitutis speciem subire, opibus fracti, cogebantur, noscere desideret, audeat quæsto Maximis Virorum, qui Angliam re literaria longe nobilitarunt, adscribendum Joannem Selenum, *Lib. 6. cap. 7. de jure natur. & gent.* Ili vero, qui ex Cananitis aliisque circumiacentibus Populis in servitutem deveniebant, sensu maxime proprio & idiomate Hebraico dicebantur עבדים Servi, vel potius *deprimendo subacti*. Nam hac primaria potestate gaudet radix עבד apud Hebræos. Qua idea nil nostro negotio completius potest excogitari, ut indicat Clar. Schultens, nostri ævi in re Hebraica immortale decus & ornamentum, in suo ad Jobi *cap. 1. vers. 3. Commentario pag. 6.*

22 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

§. 6. Hinc forsitan ipsi Hebræi videntur perspexisse aliquid dirum in hoc vocabulo, quo distinguitur **אַשְׁכָר**, **mercenario**, quo ipsi, tempore labente, Judæorum Doctores, ut suæ Gentis adularentur, se suosque, quamvis ab hostibus capti & ad extirpationem fortis inter homines essent devoluti conditionem, appellitarunt, ut receptos in utilitatem Reipublicæ, pro morum locorumque discrimine: dum e contrario dictis proprie suis Servis quandam inhærentem adscriperunt servitutem, quæ, uti habetur apud jam jam laudatum J. Seldenum, de *Jur. Natur. & Gent. Lib. citat. cap. 19. pag. 814.* neutquam deleri paffet ullâ formulâ simplici, sive verborum, sive actuum, sive libello manumissionis. &c.

§. 7. Huc accedebat, quod *Levit. 25. vers. 45, 46.* penes Hebreos esset, num hos suos **בָּבֶלִים** in perpetua vellent retinere servitute, qua illi suorum dominorum posteris etiam subjicerentur, & ad omnia servilium operum genera addicerentur, si modo quis Dominus sibi caveret, ne iracundia incensus Servi sui Ancilleve membra verberibus immanem in modum luxaret. Hoc enim ubi fieret, Servus talis & Ancilla, secundum *Exodi cap. 21. vers. 26, 27.* in libertatem, vel invito Domino, ex sententia forensi erant vindicandi.

§. 8. Breviter sic eruta, ob oculosque brevitatis studiosi Lectoris positâ primâvâ Servitutis origine, soneque unde dimanari in totum terrarum orbem, reperto, eo tandem, in quo nostræ materiei discutiendæ totus cardo vertitur, accedimus, demonstraturi Euangelicæ libertati minime contrariam esse servitutem.

CA

CAPUT TERTIUM.

Servitutem Christianismo non obstat evincit.

Quamplurimos in Belgio homines sibi aliisque mutuis colloquii persuadere velle, libertatem Euangelicam partibus cum Servitute, proprio sensu dicta, ambulare nullo modo posse, res est notior, quam ut in dubium vocetur. Afferitur enim, nostro nunc tempore, cultum divinum non modo pura mente (quæ ex spirituali, unde vivit, principio se Diaboli imperio non patitur subjici) verum & corpore libero esse necessariò peragendum. Hæc autem opinio (ut dicam quod res est) si non tramite recto eat, saltem aliquo modo referri potest ad Fanaticorum placita & commenta, quibus illi, spiritu vano impleti, Magistratum omnem ex orbe Christiano tollendum contendentes, non potuerunt non pronunciare, Servitutem Christianismo reclamare. Insulta hæc & inepta sententia Adversariorum nostrorum atimos occupasset nunquam, si de Oeconomia Novi Fœderis natura sibi præposteros non formarent, nescio quos, conceptus; si Christianorum veterum morum; siue suarum Regionum, institutorum veterum, ac consuetudinem non effent inscii principiorum.

§. 2. Et quidem, quod ad Oeconomia Novi Fœderis naturam attinet, hanc opinantur, non minus corporalem, quam Spiritualem credentibus polliceri libertatem: ita ut Oeconomia Veteri cum Nova mutata, Servitus, quæ sub Veteri Oeconomia (ut vidimus antea) viguit, nostrâ nunc quoque aetate cum reliquis Mosaicæ Legis abrogatis cærimoniis exulet. Quæ omnia inter alia Sacrarum Litterarum his testimoniis doceri autumant. 2 Corinth. 3: 17. Galat. 5: 1.
1 Corinth. 7: 23. Joan. 8: 32.

§. 3. Ex suarum autem Regionum morum consuetudine suæ

.24 · DISSE^TRAT^IO · POLITICO-THEOLOGICA.

sue opinioni opem , auxiliumque ferri credunt: propterea quod in Belgio Servitus sit ignota , quum hic neminem in Servitutem conjicere liceat: quin imo quod omnis Servus , qui aliunde huc defertur , statim ac inter Belgas habitet , multoque magis si Religionem Christianam rite amplectatur , tacito quasi consensu libertate donetur corporali , ut non amplius pro Heri sui arbitrio possit mancipari.

§. 4. Verum enim vero hæc , quamvis speciosa cuiquam esse videantur , tamen ad justum revocata examen , & aqua lance librata , robore suo destituta reperientur facilime. Ulro equidem satemur , Oeconomiam Novi Fœderis hominibus , qui illius , per Summi Numinis gratiam singularem , sunt ac fiunt participes , dare libertatem. Sed qualisnam est intelligenda? An spiritualis cum corporali? Nullo prorsus modo. Verum spiritualis tantum , quæ a Christianorum cervicibus ^{in Cœsareo} legem cœrimonialium , quod , teste Paulo , ad *Hebreos* 12: 20. & Petro , *Act.* 15: 10. sustinere Patres non potuerunt , excuit , eosque liberat , ut jugum Christi mitissimum subeant.

§. 5. Rem non alio , sed hoc modo , esse accipiendam , partim infinita ipsius Novi Fœderis loca , quorum unum & alterum adnotasse sufficerit , *Ephes.* 6: 5. *1 Timoth.* 6: 1. partim illa eadem , e quibus Adversarii contra nos argumenta componunt , *parag.* 2. adducta , clamitant , teumque in nos vibratum in Adversarios retorquent luculentissime. Hoc vero si per breviusculam locorum citatorum explicationem oculis subjecero , nemo sapiens inficiabitur , me limites hujus Dissertationis non transvisse.

§. 6. Certe quoad *2 Corinth.* 3: 17. ubi *Spiritus Domini est , ibi est libertas*: apertissimum est , ex hujus commatis cum præcedentibus nexu , præsertim cum pericopa sexta , septima , & tertia decima , libertatem heic loci memoratam opponi legis Mosaicæ servitutis jugo , quo maxima pars Israëlitarum , cœrimoniis aggravata innumeris , culpam indies majorem contrahebat , legem supergrediendo. Atqui

DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA. 25

secundum illud Cœlestis Infallibilisque Doctoris nostri axio-
ma, *Joan. 8: 34.* de quo postea uberior erit dicendum) *omnis,*
qui facit peccatum, servus est peccati. Hujus autem servitii
duplex erat documentum. Unum, quod Israëlitæ, post ido-
lolatriam, per vitulum aureum commissam, præ meū non
auderent ad Moysēm, ipsis mandata Dei traditurum, appro-
pinquare, dum ejus facies divino fulgore illustrata nitesce-
ret; unde indignos fese habebant, qui ipsius Dei gloriam
adspicerent effulgentissimam. Alterum erat, quod Hebr.
2: 15. (ad quem locum vide Gregorium Raphelium) vel
maxime Paulus videatur de pluribus Israëlitis dicere, eos,
mortis timore, per rotam vitam, obnoxios fuisse Servituti. Nam
verissimum est illud vulgare dictum:

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectore pro facto spemque metumque suo.*

Neque hoc tantum, verum & præterea, nisi legi Mosaicæ
quantæ quantæ debitam præstarent obedientiam, dirissima
maledictione tenebantur. Et quantum ex hoc peccato ~~mo-~~
~~gnorarentur~~, quo Israëlitæ Dei fœdus transgressi sunt, sicut A-
dam, jus mandandi & natum & datum fuerit omnibus Moy-
sis Successoribus, vel inde potest elici, quod Scribæ & Pha-
risæi ligarent onera grayia difficilaque portatu, & in ho-
minum humeros imponerent, quamvis ipsi ne dígito quidem
suo ea moverent. Hoc jam legis prædictæ potentissimum
simul & latissimum imperium, ac metum servilem Israëli-
tarum, demonstrat Apostolus noster, Oeconomia Veteris
Novâ locum occupante, desisse: ita ut in veros Fideles,
quotquot a Christo, umbris sublatis, ad interiorem legis sensum
enucleandum erant perducti, peccatum non amplius ex illius
legis præscripto exerceret dominium; perinde ut legimus,
Rom. 6: 14. Quum e contrario essent mactati libertate glo-
riæ Filiorum Dei, cuius evidentissimum in nostro nunc Capite
exhibitetur indicium, quo ipsis, in hac etiam mortali vita,
ipsius Domini gloria, velut in speculo, facie reiectâ offeratur
conspicienda. Expositionis igitur summa huc reddit, nos

26 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

cum *Præside nostro Gravissimo*, & si quæ sint celebriora nomina, tenere, heic loci Paulum Legis Mosaicæ sensum literalem, sub nomine Σερβιτος, distinguere ab ejusdem sensu mystico, quippe qui ei καν εξοχικ, dicitur παντωμα, tempori Euangelico in primis reservato. Unde sequitur, ne ~~quidem~~ in hoc Capite toto de libertate corporali, ex fundamentis Euangelicæ Libertatis elicienda, disputari, sed tantum de Spirituali.

§. 7. Eandem, quam modo dixi, spiritualem libertatem locus ad Galat. cap. 5. 1. *State igitur in libertate, quam nos Christus liberavit, & ne rursus jugo Servitutis in plicemini*, innuit postulatque. Nam Paulus, Voluminum Sacrorum Certissimus Interpres, Capite præcedenti Quarto, vers. 22. de duabus Abrahami Filiis locutus, quorum illam ex iherba prognatum Servitus, hunc vero ex libera, libertas comitabatur, dixit vers. 24. hæc esse ανηγραφω, quo vocabulo quasi de dicta operâ præmonet, se, in mox secutura argomentatione, per Servitutem externum legis Mosaicæ cultum, nomine Fœderis Sinaïtici, a potiore parte, propositum, per libertatem vero Oeconomiam Novi Testamenti, ab omnibus ritibus illis liberatam, denotaturum. Hoc jam discrimen ut bene animadvertant, excitat, commate nostro, Galatas, ne sibi jugum Sinaïticum ab Judaizantibus (utpote qui necessitatem circumcisionis in primis urgebant) imponi paterentur.

§. 8. Ad tertium locum, ex Priori Epistola ad Corinthios Cap. 7: 23. *Precio emti estis, ne fatis Servi hominum*, non ita facile quidem respondebitur. Diligenter tamen si expendarunt, suaque perfundatur luce insita, ex omnibus rerum circumstantiis, verborumque Paulinorum contextu, non pro Adversariorum, sed pro nostra quam clarissime pugnabit sententia. Nemo enim non videt, hic doceri, inter Corinthios fuisse digladiatum, an Servitus, propriæ sic dicenda, cum libertate Christiana queat consistere: ita ut tunc temporis ipsissima, quam nunc tractamus, materia fuerit excussa.

Hanc

Hanc itaque questionem, quæ majoribus animis, quam par erat, agitabatur, Corinthii, cum suis reliquis rogatis, decidendam Paulo, per Epistolam, tradiderunt. Paulus autem ipsis responsurus, *vers. 20.* ut regulam generalem vult teneri, Doctrinam Euangelicam statuum differentias nequam tollere. Unde *vers. 21.* deducit, si quis servus nomen daret Christo, illum ea conditione debere esse contentum: ita tamen, ut si liber fieri possit modo honesto (id est, non invito Domino) libertatem servituti anteponat. Interim tamen *vers. 22.* declarat, libertatem externam, seu personalem, non necessario ad cultum divinum requiri. Hoc enim indicat rerum miranda conversio, qua, qui *servus* in Domino esset vocatus, fieret *libertus Domini*: &, vice versa, qui *vocatus liber* esset, *servus* fieret *Christi*. Hinc autem, *versu nostro*, omnem, sive *seruum*, sive *liberum*, concludit debere agnoscere, se sanguine Christi pretioso esse emtum. Quamobrem ei cavadum, ne sua sponte sese in servilem detrudat conditionem (*a*) apud Gentiles, secundum detestabilem istius saeculi morem, quo multi sese vel Lanistis, vel Magistris, auctorabant ad pugnandum cum bestiis, aut gladiatoriibus: (*b*) uti observat *marcus* Claudio Salmasius, Veterum Scriptorum Anagnostes indefessus, in Response ad Miltonum, *pág. 21. b.* Quæ cum ita sint, ad oculum patescit, Adversarios nostros ex hoc etiam loco suæ opinioni nullum inventuros esse præsidium. Quin imo hæc Pauli ad Corinthios responsio tantæ pro nobis est evidentiæ ac ponderis, ut omnem Adversariis viam præcludat, quominus sese nobis opponant, dicantque Servitatem Ævo Apostolico tamdiu fuisse toleratam, donec illa,

(a) Vid. Jo. Christoph. Wolfius, ad hunc locum, in *Coris Philologicis & Criticis* tomo secundo.

(b) Vid. Jo. Christoph. Wolfius loco citato.

28 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

clarus Euangelii lumine in dies crescente, ac Societate Christianâ firmiora ac tutiora jaciente fundamenta, in totum cessaret inter Christianos. Hoc enim si statuendum esset, quis, quæso, non intelligat, debuisse Apostolum, cum in apto nato rei loco dicepitaret, etiam de duratione servitutis dijudicare. Quod quum taceatur, sat clare videmus nostram sententiam novâ quasi munitione circumvallari.

§. 9. Ultimus denique perpendatur locus, *Ioan. 8: 32.* *Et veritatem intelligitis, & veritas vos in libertatem vindicabit.* Hoc nostri Salvatoris ad Judæos dictum adversariæ sententiae, primo oculorum intuitu, præbere maximum posset videri receptaculum. Potissimum si in memoriam revocetur, jam dudum a Viris in Lingua Græca Versatissimis observatum fuisse, verbum ἐλεγεῖν, usū vulgatissimo, apud optimæ notæ Scriptores Græcos, usurpari in servorum manu-missione, qua liberi vel liberti evadebant: ut præ aliis videre est in Euripidis Heraclidis, ubi Domina quædam, Famulo suo libertatem promittens, sic inducit loquens, *vers. 788.*

Ωὐταδίδειοι οἴησθε δύλωσεν,

"Ηλεγένδαι τοῖς γὰρ μηδέπειν.

O charissime, iste dies egit te hic,

Ubi liber fias, propter hos nuncios.

Hinc opponitur δὲ λόγος τῷ ἐλεγεῖν in Æschinis Socratis Dialogo 1. pag. 4. ad finem, edit. Petri Horrei. Spes crevit Adversariis, quod Judæorum ex responsis, quæ ad Christi dictum dabant, colligendum esse autument, Christum per libertatem intellexisse non spiritualem, sed corporalem. Certe Judæi indignabundi Christo respondent *vers. 33.* *Semen Abrahami sumus, neque cuiquam servivimus: quomodo tu dicas ἐλεγεῖν οὐκέπειν; liberis fietis?* Ex quo Jo. Seldenus, ad hunc ipsum locum jamjam explicandum, olim conjectavit, nonne illam solum Servitutem intrinsecam serviisse se unquam hec negant, ex disciplina avita edocti, non alteram illam, seu extrinsecam (de quo apud Judæos Servitutis discrimine dupli superius egimus) in populo, sive devicto, sive in dditionem recepto,

nul-

DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA. 29

nullibi non agnovere? Vid. Lib. 6. de Jur. Nat. & Gent. cap. 19.

§. 10. Sed cum nemini, qui veritati studet, ignoretur quemque suorum verborum esse Optimum Interpretem, versus proxime sequens nullum nobis dubium relinquit, quin Iudei, vel ex malitia, indeque oriundo mendacio, vel ex ignorantia (qualis in ipso Nicodemo, Regenerationem sensu carnali intelligente, erat) dum illorum intimi sensus hoc tempore ad res carnales magis, quam spirituales, erant intenti, Christi mentem male fuerint interpretati. Ille enim in clarissima luce collocat, quid per libertatem significare voluerit, nempe, liberationem a peccato, quo Diabolus in eos, quotquot ad Christum Salvatorem per fidem salutarem nondum confugerunt, dominatur: sic ut ille, qui peccato, id est, voluptatibus cupiditatibusque est deditus, per excellentiam peccati Servus dicatur. Quod non solum ex pluribus Sacrarum Litterarum testimonii, verum & Patrum Græcorum, quos vocamus, & ipsorum Gentilium consensu confirmat, ac fuse persequitur J. Casp. Suicerus, tomo primo Thesauri Eccles. sub voce Διαθεσ. Num. 2. pag. 956. Consulatur insuper Joachimus Kühnius, in Annotationibus ad Aeliani var. hist. Lib. 2. cap. 14. pag. 94. edit. Joh. Henrici Lederlini.

§. 11. Distinguimus itaque servitutem conscientiae & peccati a servitute civili, jus poli a jure fori; libertatem denique spiritualem a corporali: adeo ut Christus hic loquatur de jure poli, nec non de servitute conscientiae & spirituali, a qua sub Novo Fœdere vindicamur: ut bene distinguit Jo. Crocius, in part. I. cap. 6. Prioris Epistolæ ad Timotheum, p. 181. loco doctrinarum primo de statuum discrimine. In quo autem consultat Libertas Christiana sub Novo Testamento, indicat Henricus Morus Cantabrigiensis, in Opp. Theol. lib. 9. cap. 7. pag. 393, 394. parag. 8. 9. & 10. Scilicet, Fideles. I. relaxantur a fastidiosis prolixisque cærimoniarum impedimentis: ita ut non superstitionis superflua-

30 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

fluarum opinionum laqueis ritibusque amplius simus implicati , talium utique , quæ suâ naturâ ad divinam vitam promovendam minime tendant , Christive Regnum amplificandum in terris . 2. A peccatis , id est , a superbia , ab invidia , ab odio , ab iracundia , a dolore , ab avaritia , & ab omni cupiditate : ita ut haec libertas nos ducat ad iustitiam , quæ efficiacem veritatis persuasionem non potest non presupponere . Hinc autem mihi videor non male coniecturam fecisse , Christum , Cœlestem nostrum Doctorem , heic loci per phrasin , *νίκηθεια ενδέργωστος υπάρχει* nihil aliud significasse , quam quod credentes per Veritatem in Verbo Dei sanctificarentur , quemadmodum innuitur Joann . xvi . 17. Ad Libertatis autem hujus Christianæ naturam & partes qui ampliori commentario cupit informari , inspiciat quæsto Jo . Calvini institut . Libr . III . cap . 19 .

§. 12. Verum enim vero , si quis hisce non suffragetur solutionibus , velim brevia sculam Pauli ad Philemonem perlegat Epistolam , agnitus mecum , ubi rerum testimonia adfunt , non opus esse verbis . Ex hac enim Epistola lucē meridiana clarissimus elucescit , Servum Onesimum , quippe qui ab Hero suo Philemone Romam aufugerat clanculum , ibique a Paulo Doctrinæ Euangelicæ fundamentis erat initiatus , proprio postea Domino fuisse remissum , qui (ut ex totius Epistolæ contextu est collendum) per preces rogatur humanissime , ut hunc reducem Onesimum non verberibus , pro jure suo , sed amore fraterno , ob fidei communionem , qua Onesimus fungendo in posterum officio suo aptior esset , quam olim , excipiat . Ex quibus evidentissime id efficitur , quod volumus , Oeconomiaæ Novi Fœderis naturam non necessarium , ut Deus a nobis colatur , postulare externam , sed tantum Spiritualem Libertatem : ita ut per Religionem Christianam statuum differentiæ minime sint tollendæ . Digna sunt lectu verba , quæ , ad ultimam versus decimi quinti partem Epistolæ modo citatae , habet Illustrissimus Hugo Grotius , cuius fama superstes micat ut sidus in Orbe Frudito .

DISSERTATIO POLIFICO-THEOLOGICA. 3rd

videatur etiam Clarissimus Paulus Voet. *Instit. Lib. 1. tit.
3. Num. 4.*

§. 13. Haic indubitatæ veritatis demonstrationi, quam ex Euangeli indole (nisi me omnia fallant) deduximus, si quis adhuc perfracte obloquatur, eo ipso in extremas, nec unquam removendas, difficultates erit necesse ut incurat. Nam est vel ipsis Catechumenis in proposito, in Euan-gelio ipso Spirituale Dei Regnum, desumpta phrasē ab hu-jus mundi Regnis, Regibus, ac Dominis, sēpissime ita fi-gurari, ut animarum nostrarum unicus & fidelissimus Pastor Christus Jesus, pro ejusdem Regni Rege Dominoque Glo-riosisimo habeatur, qui, multo servitio stipatus, dat jura Subditis suis, quos ipse suo sanguine acquisivit, quique pro-pterea admonentur, ut in memoriam continuo revocent, se pretio esse emtos, ut Deum corpore & spiritu suo glo-riificant: allusione sic factā ad jus, quod antiquitus Domini habebant in Servos, quos in proprios usus emerant. Quo jam pacto hæc & similia sensu sano explanabuntur signifi-cantissime ac percipientur, si teneatur, secundum Adver-sariorum hypothesin, servitutis nomen & usum, in se spe-ctatum, Oeconomia Novi Fœderis naturæ ita adversarium esse, ut Christianum Servum habere non liceret Christia-nis? Quid, quæso, an omnes illae phrases mutuo sumptae sunt à re non licita, Christianisque interdicta? Præterea, quantæ, quæso, fraudi atque injustitiae aperta daretur ja-nua? Ut enim alii homines, sic etiam Servi, nomen Christi mentiri facile possunt. Hoc autem eo facerent fa-cilius, si tanti sceleris præmium esset libertas. Quo fie-ret, ut Domini, hac sèpiuscule circumventi fraude, suo sic privarentur jure, ut multi, rerum suarum maxime stu-diosi, ab omni convertendorum Servorum cura revocaren-tur, eidemque se opponerent potius. Quod quam alienum a Piorum voto sit & desiderio, percipimus omnes.

§. 14. Ad hæc omnia, quæ, inde a paragrapho quarto hujus capititis huc usque, in medium protulimus, qui, omni-
præ-

532 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

p̄aejudicio deposito, attenderit, sua sponte mihi assentietur, olim fallaciter orbi Christiano obtrusam fuisse Disputationem sub titulo: *de Mancipiorum Turcicorum manumissione baptismo implicita*. Hanc merito denudatam falsam esse docuit & repudiavit Vir Amplissimus & Clarissimus Christianus Thomasius, in quæst. promisc. *Histor. Philos. Jurid.* quæst. octava.

§. 15. Sed ut tandem hac demonstratione pro nostra sententia, ex Oeconomia Novi Foederis natura derivata, supersedeam, in verba Venerabilis Jo. Calvini desinam, quibus Vir ille severæ pietatis, & inclytum inter primos veritatis Euangelicæ Propagatores Membrum, nostrorum Adversariorum opinionem suo jam tempore publice refutavit, cum ait, *Lib. 4. Inst. Cap. 20. De Politica administratione. Num. 1. ad finem*: *At vero qui inter corpus & animam, inter præsentem hanc fluxamque vitam, & futuram illam æternamque, discernere noverit, neque difficile intelliget Spirituale Christi Regnum & civilem ordinacionem, res esse plurimum sepositas. Qnum ergo Judaica illa sit vanitas, Christi Regnum sub elementis hujus mundi querere ac includere: nos magis, quod perspicue Scriptura docet, spiritualem esse fructum cogitantes, qui ex Christi beneficio totam hanc libertatem, quæ in ipso nobis promittitur atque offertur, meminerimus intra suos fines contineare. Nam quid est, quod ipse idem Apostolus, qui jubet, ut stemus, nec subjiciamur jugo servituis, alibi sollicitos esse servos de statu suo vetat: nisi quia spiritualis libertas cum politica servitute optime stare potest? In quem etiam sensum accipiendæ sunt istæ ejus sententiae, in Regno Dei non est Judæus, neque Græcus, non masculus aut fœmina, non servus aut liber. Item non est Judæus nec Græcus, præputium, circumcisio, Barbarus, Scythæ, Servus, Liber. Sed omnia omnibus Christus. Quibus significat nihil referre qua sis apud homines conditione, cuius Gentis legibus vivas, quando in rebus istis minime situm est Christi Regnum.*

§. 16. Feliciter primâ Adversariorum acie sic profligata,

DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA. 33

ta, in secundam irruamus. Scilicet, contendunt, nostrâ thesi admissa, temere recedi ab antiquo pariter & receptio Veterum Christianorum more, apud quos manumissio servorum, ut pietatis eximiæ indicium, fuit celebrata. Potissimum die Paschatis, qua ibant in memoriam resurrectionis gloriissimæ Salvatoris nostri: ita ut apud Gregorium Nyssenum, qui An. 370 floruit, legatur: *Hoc die nisi solvuntur, debitor dimittitur, seruos bono & humano præconio atque edicto Ecclesiæ manumittitur.* Hinc jam concludendum putant Adversarii, tunc temporis intellectu, ac facto veluti demonstrasse, Christianos Veteres servitutem personalem & libertatem Christianam sibi invicem repugnare. Ad hoc itaque argumentum ut, quam brevissime potero, respondeam, velim pro firmo teneri fundamento, nostram quæstionem, in qua nunc versamur, non esse facti, sed juris: sic ut non inquiramus in id, quod Veteres Christiani, ex singulari & nunquam non laudando benitatis & clementiæ documento, fecerint, sed tantum in id, quod illis, propter libertatem Christianam, necessario fuerit faciendum; quodque, ut observent & semper & sedulo, omnibus omnium temporum Christianis incumbat. Ad posterius vero dum Adversarii nostri servorum manumissionem referant, paucis erit videndum, a quonam Auctore, quo tempore, qua denique occasione, hoc genus manumissionis fuerit institutum inter Christianos; nec non in quantum eisdem illa obligaverit: ut inde perspicuum fiat, quam insulse ex hoc instituto contra nostram Thesis afferatur argumentum.

§. 17. Servorum autem in Ecclesia manumittendorum moris Auctorem fuisse Constantinum Magnum testantur Scriptores Historiæ Ecclesiasticae. Sozomenus enim Lib. I. Cap. 9. ait: *Atque mihi in hunc sermonem ingresso operæ pretium videtur, eas quoque leges hoc loco recensere, quæ ad utilitatem eorum, qui sunt in Ecclesiis libertate donati, constituta sunt.* Nam cum partim præ exquisita quadam legum

34 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

observatione, partim præ possessoribus, qui inviti eos dimis-
runt, permagna esset difficultas in majore libertate acquirenda,
quam Romani civitate donari appellant: tres tulit leges, qui-
bus decrevit, ut omnes, qui in Ecclesiis essent testimonio Sacer-
dotum libertate donati, in Rempublicam Romanam adscriberentur.
Hujus pii instituti satis clara nostra ætate extant indi-
cia: quippe consuetudo adhuc tenetur, ut leges de eo sanctæ,
in principio Tabularum de manumissionibus scribantur. Atque
hæ sunt leges a Constantino promulgatae: qui quidem omnem cu-
ram & cogitationem ad Christianam Religionem ornandam con-
tulit. Et apud Nicephorum Callistum, Lib. 7. Cap. 46.
haec de eo leguntur verba: *Libertatem quoque Ecclesiæ, le-
ge latâ, concessit, & ut libertate Sacerdotibus testibus donati
Civium Romanorum numero adscriberentur. Quæ omnia tem-
pus quoque ipsum, ad hunc usque diem, consuetudine probata
plurimorum annorum prævalente, confirmat.* Atque ille qui-
dem magno studio leges ejusmodi condidit, rebus autem ipsis cul-
tum divinum sedulo propagavit.

His postremo succinit Historia Ecclesiastica, quam Tripar-
titam vocant, Lib. 1. Cap. 9. Cum, propter subtilitatem Legum,
etiam inviti possessores difficultatem paterentur circa dationem me-
lioris libertatis, quam civitatem Romanam vocant, tres tulit le-
ges, decernens omnes in Ecclesiis manumissos sub testimonio sacer-
dotum, per hanc piam adinventionem, Romana civitate frui, cuius
indictum præsens etiam tempus servat. Nam moris erat de libertate
leges scriptas in manumissionibus anteponi. Constantinus igitur
hæc sane studens in omnibus honorare religionem. Confirmatum
& hoc in lege prima & secunda, Cod. de his, qui in Ecclesia
manum. Lex enim prior sic se habet: *Jam dudum placuit,
ut in Ecclesia Catholica libertatem Domini suis Famulis præstare
possint, si sub aspectu plebis, adstantibus Christianorum An-
tistitibus, id faciant: ut, propter facti memoriam, vice actorum
interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice Testium fi-
gnent.* Unde a vobis quoque ipsis non immerito dandæ & relin-
quendæ sunt libertates, quo quisque vestrum pacto voluerit, dum-

DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA. 35

modo vestrae voluntatis evidens appareat testimonium. Posterior vero Lex sifsonat: *Qui ex religiosa mente in Ecclesiæ gremio Servis suis meritam concesserint libertatem, eandem eo jure donasse videantur, quo Civitas Romana solemnitatibus decursis, dari consuevit.* Sed hoc duntaxat his, qui sub adspectu Antistitum dederint, placuit relaxari: & quæ sequuntur. Verum equidem est, quod ita primæ Legis verba, *Fam dudum placuit, ab Auctoribus supra adductis discrepare videantur, quominus Constantiū pro primo manumissionis in Ecclesia Auctore habeamus.* Sed hanc discrepantiam & dubitationem non Insimorum Subselliorum in Choro Jurisperitorum Viros, quorum ingenia ad hæc verba sese exercuerunt, dupliciter sustulisse video. Quum enim animadvertant, Constantinum, antequam memoratas daret Leges, aut consultum per Epistolam respondisse, id fieri licere, aut illum de re præsenti tres leges tulisse, quemadmodum ex Sozomeno paulo ante audivimus. Unde concludunt, harum Legum primam temporis injuriā intercidisse. Quomodo cuncte autem hæc res se habeat, id, quantum equidem scio, aperi-
tissime constat, neminem hujus constitutionis atque consuetudinis ante Constantini ex Ethnicismo ad puriora Sacra conversionem meminisse, sed demum inter annum a Christo nato ccxxii. & annum cccxvi. hoc genus manumissionis inter Christianos invaluisse. Quæ cum ita sint, jure meo ex Adversariis quæro, cur tanto intervallo ab Apostolorum primorumque Christianorum ætate, qua procul dubio haud minor pietas cum charitate erat conjuncta, hæc consuetudo demum fuerit introducta? An quia sæculum prius almæ libertatis Christianæ dulcedinem ac fructum non perceperit? An vero quia tunc temporis in Ecclesiæ gremio non fuerint Servi? Utrumque hoc si quis statueret, non modo suam ignorantiam proderet, sed & in veritates clarissimas, quas antea demonstravimus, irrito conatu involaret.

S. 18. Occasionem vero, qua Servos manumitti in Ec-
cle-

36 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

clesia jussit Constantinus, si quis e citatis Scriptoribus diligentius secum consideret, persentiscet, hoc genus manumissionis commendatum fuisse Ecclesiasticis non tam ad libertatem Evangelicam tuendam, quam quidem ad eorum auctoritatem, etiam in rebus humanis, augendam. Scilicet, Christianorum Vexatoribus partim inhibitis, partim vero morte deletis, cum laetior Ecclesiae adspectus simul & uberrima pax ubicunque locorum praebetur, Imperatori laudato, ex amore & reverentia erga Religionis Professores, placuit, ut jus manumittendi (quod, ut omnibus Gentibus, ita & Christianis, quos plusquam Gentiles manufoctiores esse oportet, suadebat humanitas) esset penes Episcopos: quorum scilicet sententiae firmiori & potentiori, quam Judicum Sæcularium, major fides sit habenda, Senserat enim Constantinus, ut Sozomeni verbis utar, præexquisita quadam legum observatione permagnam fuisse difficultatem in majore libertate acquirenda. Nimirus, censu durante, cui modus manumittendi in Ecclesia successit, quem ideo præstantes Jurisconsulti in Lege Secunda denotari per Solennitates decursas opinantur, moris erat Romæ, ut Servi, jussu suorum Dominorum inter Cives Romanos censum profecti, libertatem consequerentur.

§. 19. Hæ Constantini Leges neutiquam singulos obligaverunt Christianos, ut omnes suos Servos sive Gentiles, sive Christianos, velint, nolint, e manu mitterent (quasi vero Servitus cum Libertate Evangelica pugnare tum demum innotuisset) sed agunt duntaxat de iis, quos, si bene meriti essent, libertate ex arbitrio donare possent. Eodem modo, quo Veteres cum Servis fidelibus olim egerant, secundum illud Terentianum, *in And. Att. 1. Scen. I.*

*Feci e Servo ut essemus Libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.*

Hoc autem ut credamus, D. Augustini Sermonis Quinti verba, inde a pag. 60-63. addit. a Jacobo Sirmondo, Paris. nobis persuadent: *Servum tuum manumittendum ducis in Ecclesiam,*

sum. Fit Silentium. Libellus tuus recitatatur, aut fit desiderii tui prosecutio. Dicis te Servum tuum manumittere, quod tibi in omnibus servaverit fidem.

§. 20. Hoc eo magis affirmo, quia ævo, superstitionibus ut ut plenissimo, Marculli Monachi (quem circa annum Christi sexcentesimum sexagesimum floruisse in Francia demonstrant Notæ Bignonianæ ad ejusdem Formularum Librum primum) non solum Constantinus pro manumissionis in Ecclesia Auctore fuit habitus, verum etiam quia erat penes Dominos ex arbitrio proprio suis, quos manumittebant, Servis quamcunque libertatis donationis conditionem p̄fcribere. Scribit enim Marcullus. Lib. 2. Formularum, capit. 33. *Dilecto suo illo aut illa ille, pro respectu fidei ac Servitii tui, quam mihi familiaris, pro remissione peccatorum meorum, te ab omni vinculo Servitutis absolvō: ea tamen conditione ut, dum advixero, mihi deservias, post obitum vero meum, si mihi superstes fueris, sis Ingenuus: & quæ sequuntur.* Huc accedit denique, quod hoc saeculo Servorum venditio esset in usu: ut patet ex Formulis Bignonianis. quæ Marculso adscribendæ esse videntur. Capitulo enim secundo legimus: *Domino Magnifico Fratri illi Emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario jure, nec nullo cogeniis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio tibi vendere, quod ita & vendidi, a die presente, vernaculum juris mei nomine illum, & sic deinceps.* Quæ cum ita sint, clarissimum in modum effulgescit, quam male credatur, manumissionem Servorum in Ecclesia olim introductam fuisse ad servitutem, propter libertatem Euangelicam, e toto Orbe Christiano, & quaquaversum propagarentur dogmata salutaria, funditus extirpandam: sic ut omnes ubique Christiani, etiam nostro nunc tempore, ad eundem conservandum morem essemus adstricti.

§. 21. Sed forsitan, secundum illud Poëtæ effatum, quoniam etiam vītis redit in præcordia virtus, contra nos insurgent Adversarii, dicentque, etiamsi cedamus demonstratio-

38 DISSERTATIO POLITICO THEOLOGICA.

ni præcedenti, tamen contendimus, ex citato Marculfo, non paucos antiquitus Christianos, ut pius non tantum, verum etiam ut meritorum quid considerasse, si quis Servum Servamque suam a servitutis jugo solveret: adeo ut quod quondam Deo placuisse docetur, maxime semper debeamus curare.

Non equidem diffitemur, multos inter Veteres Christianos, & præsertim Francos, in hanc opinionem fuisse deductos a quibusdam Ecclesiasticis, quibus jus manumittendi, juxta Constantini institutum, erat commendatum: sed eandem nullo pacto dubitamus vanam & superstitionem pronunciare. Nam præterquam quod hujus opinionis, ut receptæ apud ante citatos Historiæ Ecclesiastice Scriptores, nulla mentio proster, ex ipsis illis Formulis, quibus, hoc Marculfi saeculo, Servorum manumissio peragebatur, quam longe hæc opinio a veritatibus divinis recedat, dijudicent illi, quibus erectiora dedit Deus ingenia, qui que a Cælesti nostro Doctore didicerunt, licitum non esse nobis, ut Dei legis graviora præcepta, judicium, & misericordiam, ac fidem, linquamus, ut traditionibus hominum adhæreamus. Quod ut vel in ipsis Adversariorum oculos incurrat, tria tantum loca ex ipso Marculfo adducantur. Sed risum teneatis, Amici! Scilicet Lib. 2. Capitul. 32. legimus: *Qui debitum sibi nemum relaxat Servitium, mercedem in futurum apud Dominum sibi retribuere confidat.* Igitur ego in Dei nomine ille & Coniux mea illa pro remedium animæ nostræ, vel retributione æterna, te illo ex familia nostra a præsente die ab omni vinculo Servitutis absolvimus &c. Ibidem infra Capitul. 34. Si aliquos ex Servientibus nostris a jugo Servitutis absolvimus, mercedem in futurum nobis ex hoc retribuere confidimus. Igitur ego ille, propter nomen Domini & retributione æterna te illum ab omni vinculo Servitutis libero, ita ut ab hac die vitam ducas ingenuam, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nulli heredum ac probæredum meorum vel cuicunque Servitium impendas, nisi sub integra ingenuitate defensione, cui te ex meis hære-

di-

dibus elegeris habere debeas, & oblata mea, ubi meum requiescit corpusculum, vel luminaria annis singulis debeas procurare, & sic porro. Denique in ejus Appendice Capitul. 13. hæc prostant verba: *Dum Omnipotens Deus nobis concedit in hoc seculo sanum corpus habere, oportet nobis pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debere, ut aliquantulum de peccatis nostris minuare mereamus. Itaque ego ille in Dei nomine pro animæ meæ remedium, vel pro meis peccatis minuendis, ut in futurum Dominus veniam mibi præstare dignetur, Servum juris mei nomine illum relaxavi ingenuum: & quæ subnectuntur.*

§. 22. Sed, ne proposito longior sim, progrediar, ut demonstrem, illos, insciati magis, quam firmo fundamento, argumentari, quotquot id agunt, ut sibi aliisque in animum inducant, Servitudem, sensu strictissimo sumendam, ideo inter Belgas amplius non obtinere, quandoquidem leges simul & fundamenta Euangeli eidem resistere statuunt. Quod enim quilibet Civis & Accola h̄ic libertate plenissima gaudeat, secundum harum Regionum Comitum & Regum privilegia, id adscribendum politicis rationibus nemo, nisi Belgicarum rerum ignarissimus, negare poterit. Nam & ante, & post Belgium Reformationis luce salutifera colluстрatum, h̄ic Servitus erat res notissima: ut testantur non modo Antiqui, verum & Recentiores Jurisperiti, qui in suis Operibus aliquam Belgii Provinciarum mentionem fecerunt.

§. 23. Certe Clarissimus Jurisconsultus Petrus Gudelinus in suis Commentariis de Jure Novissimo, lib. 1. cap. 4. *De iis quæ jure novissimo circa servorum conditionem introducta sunt* pag. 56. ad finem, dicit: *fuisse autem olim, tam hic, quam alibi, apud Christianos durissimum Mancipiorum atque Vernarum usum, ac etiam Ecclesiæ posseditse, ex monumentis constat, donec crescente paulatim charitate Christiana, quæ plurimos ad manumittendum suadebat, tandem prorsus servi fere ubique esse desierunt, ut notavit Joannes Molanus de Canonicis, Lib. Tert. Ex quo tempore id acciderit, non scitur exacte: plane circiter*

annum Christi millesimum ducentesimum adhuc servos in Italia & Germania fuisse, Rescripta Pontificum in Decretalibus, sub Tit. de Servis non ordinandis, & Tit. de Conjugio Servorum, indicant. Ad hanc refert idem Molanus, Libro nunc allegato, Ecclesiam Divi Petri Oppidi Lovaniensis instrumentum habere manumissionis cuiusdam, in ea Ecclesia facta, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo: ut probabile sit a trecentis duntaxat annis, aut paulo amplius, possessiones Servorum exulare in Belgio nostro, & plerumque aliorum locorum cōpisse. Attamen retentus est, in bidernum usque diem, Servorum eorumque vendendorum usus, tum in Lusitania, tum in aliis Hispaniae partibus, & nonnullis aliisditionibus, que Turcis sunt vicinæ — ac mos ibi est Servos permanere, quamvis religionem Mahometis ejuraverint, & Christianam imbuantur. Quod absurdum videri non debet, cum sententia sit approbata Servitudinem personarum & dominicam potestatem Legi Divinæ non adversari.

Ne quis autem adversæ tententiae Patronus arma, quibus nos confundat, censeat sibi abscondita esse sub ictis verbis: donec, crescente paulatim charitate Christiana, quæ plurimos ad manumittendum suadebat, tandem prorsus Servi fere ubique esse desierunt, illi omnem occasionem virium resumendarum adimam. Scilicet, concedimus quidem facile, charitatem Christianam non solum non permisisse, ut Christiani in suos Servos savirent, sed procedente etiam tempore potuisse ansam præbere, ut status servilis funditus fuerit remotus: atque ita cuivis Christiano semper licitum esse, si velit, Servum suum manumittere. Verum denegamus, id ex aliquo Euangeli expresso mandato profiscisci.

Gudelino addatur Paulus Christianus, apud quem *Decis. Curia Belgicae, Volum. 4. Decis. 8º. Num. 2, 3.* eadem ferme reperiuntur verba. Ampl. Ulr. Huberus, *Servitutis inter Christianos sublationem ad seniora tempora referens*, ait, *in Praelectionibus ad Tit. Instit. de Jure Person. §. 6.* Sed ab hoc tempore, id est Aº. Christi 1212. aut non multo secus, Christiani se mutuo in Servitium redigere desierunt.

Hu-

DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA. 41

Hugo Grotius etiam, *in Introductione ad jus Hollandicum, idiomate Belgico conscripta*, fatetur, ante trecentos annos, Servorum usum demum fuisse sublatum in Belgio.

§. 24. Si quis autem quærat, quaenam illa cauſa proprie & ratio fuerit, cur Servitutis nomen, nec non & usus, in Belgio penitus desierit, velim audiat, quæ habet Clar. Paulus Voet. Institut. Lib. I. tit. 3. Num. 4. ubi dicit: *Provincia vero Belgii Fæderati, in tantum à jure Servitutis abhorrent, postquam se in libertatem jure & armis receperunt, ut si qui aliunde Servi ad nos transverint, vel limites nostri territorii, fuerint ingressi, eo ipso libertatem consequantur. Ut multo magis ipsi in Belgio Fæderato in tuto sint collocati, qui se intra nostram ditionem, tanquam infra tutelam & protectionem, receperunt, nec suis, a quibus profugerunt, exhibeantur. Ex quibus omnibus satis superque cuiilibet est manifestum, non tam Euangelii Legibus vel Fundamentis, quam Politicis Rationibus, esse adscribendum, quod omnis Servus, qui aliunde hoc defertur, libertate plenissima in Belgio fruatur.*

§. 25. Conclusio nostra quam firmo nitatur fundamento, vél inde colligitur, quod, sententiâ Adversariorum de Belgio nostro admissâ, esset ostendendum, quomodo, libertate Euangelii sarcâ rectâ, in multis aliis Christianorum Rebus publicis, in quibus omnes Christianismum, diversis licet sententiis, diversoque modo, profiterentur, non solum remanserint vestigia quædam Servitutis pristinæ, verum etiam, quod magis, emtio & venditio Servorum. Nam modo allegatus P. Voet, loco citato, cum alium Testium Gravium agmine, affirmat, nihilominus remanserunt vestigia quædam pristinæ servitutis, in Germania, Polonia, Moscovia, Transylvania, Borussia, etiam in Tetrarchia Zutphanensi & Velavica. Et paulo post: in Anglia Regno durâ sublatâ Servitute, nonnullæ glebae adscribuntur, alii ad tempus, pactione constituta, Servorum instar serviunt, apprentices appellati. De emtione autem & venditione Servorum, pecudum in morem, videsis, quæ de Lu-

44 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

sitanis habentur apud Jo. Bodinum, *Lib. I. de Republ. cap. 5.*

§. 26. Neque Viri quidem Doctissimi, qui de Rebuspublicis opime sunt meriti, optare dubitarunt, ut Servitus personalis, quæ nostri temporibus inter Christianos plurimos, aut ferre, aut penitus, sublata est, restituueretur (ita tamen, ut Domini clementiæ Christianæ studearent, non ferociæ) ut pote quæ Rebuspublicis esset utilissima. Nam tam certum est, quam quod certissimum, e Servitutis usu abrogato multa, nec facile dinumeranda, emanare incommoda. Huc tendunt verba Amplissimi & Aestamatissimi Busbequii, eum ait, *Epistol. Turcica 3 pag. 160, 161 edit. Lugd. Bat. 1633.* At nescio, an optime rebus nostris consuluit, qui servitatem primus sustulit. Si justa, ac clementis, & qualem Leges Romane prescribunt, servitus praesertim publica maneret, non tot fortasse crucibus, neque tot patibulis opus esset, ad coercendos, quibus, praeter vitam & libertatem, nihil est, quos egestas ad quodvis audendum scelus impellit. Libertas sine re non semper suadet honesta. Non omnium ingenia inopem ferunt libertatem, nec omnes ita nati sunt, ut se regere, & suo arbitrio rede uti sciant; melioris ductu atque imperia, tanquam adminiculo, opus habent; nullum aliqui peccandi finem faciuri: ut sunt quædam bestiæ, quarum ferocitas semper metuenda sit, nisi vinculis coercantur. Hic quidem mens imbecillior autoritate herili gubernatur: Herus servi labore vivit. Turcae maxima, qua publice, qua privatum, e Servitio emolumenta capiunt; rem familiarem Servorum operis preclare tuentur; ideoque proverbio negant cum pauperem videri, cui vel unicus Servus sit. Sed & publice si quid molendum, transferendum, eruderandum, aut minuendum sit, id Servorum opera & affiditatem consequuntur. Nos operum antiquorum magnificentiam nusquam assequimur. Quid enim? Manibus destituimus, hoc est Servorum auxilio. Ut raceam, quantum instrumentum Servorum doctrina & literæ fuerint Veteribus, ad omnem scientiam adipiscendam. Potgiesserus vero, Magorum Virorum nixus suffragis ac testimonii, &

præ-

Præsertim Busbequii, in *Prolegom. de Statu Servorum*, parag. 33, 34, & 35. generatim evincit non modo, magnas ex servitute personali, præ mercenaria, utilitates in genus humanum redundare: verum & speciatim disputat de colluvie hominum mendicantium ac otiosorum, qui divagando suorum Concivium vel aliorum Hominum alimenta devorant, & vires debilitant, cui malo obveniretur, si adhucdum Servitus vigeret plenissima inter omnes Christianos.

§. 27. Ex omnibus itaque ante dictis (ne sim infinitus) etiamsi omne hornm Scriptorum Doctissimorum verbum nullo modo faciam meum, de rei tamen summa & capite fatis, opinor, tutò concludo, *Libertati Christianæ Servitatem* (quippe quæ hic vel ex aliquo benignitatis & clementiæ sensu, vel ex politicis rationibus, non vero ex Lege Divina, est abrogata) nulla ex parte adversari Libertati Christianæ. Unde sua sane sponte fluit, eam impedimento non esse, quominus Euangelium propagetur in iis Christianorum Colonis, ubi Servitus, in hunc usque diem, usu venit. Hac enim ratione quoddam amicissimum Deoque gratissimum Regnum erigi poterit & debebit Dominos inter & Servos, Sacris Melioribus edocetos: uti Philemoni commendat Paulus, vñ. 16. Nimurum sic demum servi erunt ad suorum Dominorum nutum quam paratissimi, secundum illud (a): *Servi, obedite iis, qui Domini sunt secundum carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, tanquam Christo.* Sicque alterum illud altas aget radices in animos Dominorum, quotquot Hominem Christianum non exuerunt: (b) & vos, Domini, eadem facite erga illos, remittentes minas: *Scientes quod & uester ipsorum Dominus est in Celis, nec personæ respectus est apud illum.* Rationes autem ut & modos, quibus initis & observatis, hoc Regnum felicibus auspiciis queat fudari & confirmari, indicavit Vir Eruditissimus, de me, si quis

(a) Ephes. 6: 5—8.

(b) vñ. 9.

a 1169893
44 DISSERTATIO POLITICO-THEOLOGICA.

unquam, optime meritus, Henricus Velse, Hagiensis Ecclesiae Venerandus maxime Pastor, in Praefatione Historica præfixa Libro, qui inscribitur: **Paulteurige Berigten no-
pens de grondvesting des Christendoms onder de Hei-
denen op de Kust van Choramandel en Malabar /**
door de Dernische Missionarissen op Tranquebar.
Hic autem Theologus ille Incomparabilis, parag. 46, 47. quo-
rundam hominum dubitationibus, quibus sunt solliciti, num
Dogmata Euangelica Servis tradi possint sine detimento,
recensitis & refutatis, parag. 48 — 53. media, hoc religio-
nis opus promotura & inservitura, ordine concinno digestis.

T A N T U M.

A N N E X A.

- I. Ideam Dei nobis innatam esse, firmissime tenemus.
- II. Pluralitas Deorum cum sana mente non potest statui.
- III. Prima nobis veritas, tum ad Dei, tum ad nostri existen-
tiam naturali lumine demonstrandam, est aureum illu-
mid, Cogito, ergo sum.
- IV. Polygamia simultanea in legem naturalem veritatesque di-
vinas incurrit.
- V. Deus natura sed est incorporeus non tantum, sed & cor-
pore non vestitus.
- VI. Theologia Naturalis ad salutem non sufficit.
- VII. Codex Domini nec aliquo casu scriptus est, nec ab auto-
ritate Ecclesie pendet.
- VIII. Dei æternitas excludit non tantum omne initium ac fi-
nem, sed etiam omnem temporum successionem.
- IX. Actus Justificandi non est confundendus cum Sanctificatione.
- X. Non datur duplex Independens Principium.
- XI. Deus neque fallere potest, neque falli.

F I N I S.